

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Inter patiendum sui oblatio atq[ue] commendatio ad Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

piam, & tui amore quam diu tibi placuerit, cum gaudio & gratiarum actione, atq[ue] cum plenissima resignatione meipius longanimiter omnia sustineam, Amen.

Inter patiendum sui oblatio atque commendatio ad Deum.

Omnem hanc pressuram quam nunc patior, o misericordissime Domine Iesu Christe, & si quid grauius etiam pati me volueris tui amore, de manu prouidentiae tue & de voluntate amantissimi ac paterni cordis tui suscipio, & pro immenso amore tuo, quo ab aeterno in saltem meam haec ordinasti, tibi gratias ago. Iesu fidelissime, quid dicam, nisi quia peiora merui, & omni gratia tua, consolacione, ac beneficio tuo indignus sum? Idcirco ad honorem acerbissimae passionis & mortis tue, in quas te ultra pro me obtulisti, offero me ad sustinendum hanc pressuram seu aduersitatem, proponens nullam aliam consolationem seu liberationem querere, nisi per te Domine, aut secundum beneplacitum tuum. Hoc tamen rogo & obsecro te per misericordissimum cor tuum, quia nulla virtus, & penitus nihil boni est in me, adiuua me, & da quicquid necessarium est (Plura enim necessaria sunt mihi peccatori misero & imbecilli, quam seruis tuis fidelibus) ad abstinentium & perficiendum beneplacitum tuum. Et fac ut ita me semper habeam, ita sim coram te, sicut maximè tue placet voluntati. Atq[ue] utinam valerem, utinam tantam a te gratiam acciperem, qua omnium & singulorum qui pro te passi sunt, pressuras solus sufferre possem, ut pro omnibus tibi gratias agendo, aliquid quod tue charitati gratum esset offerrem, & metotum tibi impenderem. Eia benignissime Iesu, fac me quæsito totum in omnibus secundum beneplacitum tuum, in agendo & patiente, & voluntatem meam sic vniuersi tibi, ut non aliud possim velle, quam quod tu vis, Amen.

Quando existimas te grauatum tribulatione aut pressura, recurre ad crucifixum salvatorem tuum, & inde presidium roga, modo quo sequitur.

Procede ad pedes eius, & osculatis pedum vulneribus, dic.

Respice, quæsumus, omnipotens aeterno Deus super me miserum famulum tuum, pro quo Dominus noster Iesus Christus non dubitanit manibus tradicentium, & crucis subire tormentum. Illumina cor meum, ut intelligam & sentiam quanto amore hanc aduersitatem super me venire permisisti, Amen.

Deinde ad manus crucifixi, dic.

Da mihi Domine sedium tuarum astrictricem sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meum inflammeret ad cognoscendum & amandum te Dominum Deum meum, in omnibus & super omnia omni tempore: & ut ipsa aeterna tua sapientia mihi assistat, me confortet, mecumq[ue] operetur, ut ad perfectum usque finem hanc pressuram sufferre possim, pro gloria tua, & pro vita, & omnium fidelium salute, Amen.

Tertio ad cor accede, & dic.

O amor ineffabilis, o charitas ad nos fidelissima & immensa, Christe Iesu a-nantissime, per amorem cordis tui, quo pro omnibus omnium grauamina pertulisti, adiuua me ut hanc pressuram & quanamiter sustineam quamdiu tibi placuerit, Amen.

Cogita sepius ita.

d 3

Dulcis

